



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 9. De Oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

§. VIII.

De Precibus.

- I. **S**emper dicuntur, exceptis Duplicibus, & diebus infra Octavam. Omittuntur etiam, quando dies octava incidit in Dominicam privilegiatam. Gavant. *sect. 3. c. 8. n. 13.* ut supra quoque ad Primam §. 8. notatum est.
- II. In Versibus tempore Paschali non additur Alleluia.

§. IX.

De Oratione.

- I. **S**emper dicitur, excepta Feriâ quintâ Cœnæ Domini, & die Parasceves.
- II. Subjunguntur illi Versus consueti *Dominus vobiscum, Benedicamus, benedicat.*

§. X.

De Antiphonis B. Virginis.

- I. **S**emper dicuntur, præterquam in Feria quinta & sexta Sacræ Hebdomadæ.
- II. Variantur pro diversitate temporis, prout in quavis Antiphona post Completorium notatur. Dubitari tamen potest de Antiphona *Alma Redemptoris*, an si Purificationis Festum ob Dominicam privilegiatam differatur, ut hoc anno factum est, etiam Antiphona illa transferri debeat? & respondet Gavantus *sect. 5. c. 22. n. 7.* affirmativè, eò quòd in tali casu semper adhuc de partu B. Virginis fiat mentio; quam ob causam ait citatus Author, si Purificatio alicubi Octavam habeat, dictam Antiphonam per totam Octavam dicendam esse, eò quòd omnes Octavæ dies pro uno die reputentur.
- III. In fine subjungitur Versus *Divinū auxilium, & Pater, Ave, Credo.* Præter hæc ex præscripto nihil dicitur; aliqui tamen vel Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, vel Orationem sequentem addunt. *Sacrosancta & individua Trinitati, Crucifixi Domini nostri IESU Humanitati, beatissima & gloriosissima, sempérque Virginis MARIÆ fecunda integritati, & omnium Sanctorum Vniuersitati sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum per infinita secula seculorum. Amen.*